

regionem : attamen saepe cum relegatione ob perversitatem & extremam malitiam ejus , qui relegari debet , non minimum conjunctum est periculum, ut satius sit eum retinere in loco, quō semper in conspectu Magistratus vivere queat, quam eum relegare. Inde antiquitus usitatum fuit Insulæ vinculum, l. 5. ff. de Interd. id est, ratio emittendi aliquem in aliam partem provinciæ , ibique eam detinendi , ne exinde secedat: vel delinquentem prohibendi, quo minus ex isto loco, in quo condemnatus est, exeat ; Et hanc speciem poenæ, quam tamen Grotius l. 2. cap. 20. num. 1. de I.P. & B. ē censu poenarum excludit , licet non sine ratione, vocant Confinationem , id est, assignationem certi loci , quem condemnatus non tenetur excedere. Mundius cap. 5. §. 6. num. 26. pag. 374. de Diffamat.

Post poenam sequitur Praestatio Urphedæ perpetua , quæ non tantum includit obligationem de non vindicandis iis, quæ relegatus aut confinatus perpessus est , aut porro perpeti debet per relegationem : sed etiam exclusionem propositi de agendo ad absolutionem à Juramento quoad effectum vindicandi inducit. De quo tamen dixi plenius ad artic. 120.

(3) Objectio , quod istud furtum non sit manifestum , nec fur in isto furto deprehensus. Nam Respond. hoc nihil juvat , quandoquidem hoc loco furtum ex iteratione potissimum, non verò ē ratione manifesti vel non-manifesti seu clandestini aestimatur.

Posteriore casu, ubi scilicet magnum est furtum, sine effractione tamen , commissum , tum facta inquisitione omnium circumstantiarum , judicium Prudentum est requirendum eo modo , quo antea est expositum. Nullus autem dubito, quin ob conjunctam furti reiterationem quoad ejus quantitatem judices obstringantur ad cœteras furti circumstantias investigandas : quamvis quoque rei defensionem hac ratione tollere non debeant ; præprimis, quod etiam judices pro innocentia ei vigilare teneantur.

ARTIC. CLXII.

Siquis tertium furatus sit.

Vom Stehlen zum drittenmahl.

Dürde aber jemand betreten / der zum drittenmal gestolen hätte / und solcher dreifältiger Diebstal mit gutem Grund als zuvor von Erfahrung der Wahrheit gesetzt ist / erfunden wird / das ist

H h h

ein